Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Illustration: Tab. XII. Raia exiccata et concinnata ad formam [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

Pvnctvm VIII.

De Raja ſpinoſa, Aſpera, Fullonica, et Aſperrima.

Tab. XI. 5. *Aldrov. de Piſcib. l. 3. c. 59.*

Raja Spinosa Gallis *Cardaire*, quaſi *Lanifica*, a ſpinis ſeu aculeis quorum multi infixi ſunt inſtrumentis quibus lana carminatur, figura corporis laevi rajae ſimilis eſt, ſi longas cutis ſpinas excipias. *Spinas* non in alis ſolum habet, ut clavata altera, ſed etiam in lateribus circa caput, duo oculis praefixi ſunt, et in media dorſi linea, et ad priorem uſque caudae pinnulam continuus eſt aculeorum ordo unicus. Carnis ſubſtantia et ſucco ab aliis non variat.

Tab. X. 7. *Aldrov. lib. cit. c. 60.*

Aspera, illa a Rondeletio cognominatur, quae a caeteris eo differt, quod *aculeis* parvis latera conſperſa habet, corporis vero truncum nullis. *Roſtro* eſt acutiore. In cauda tres ſunt longorum et firmiſſimorum aculeorum, ad extremum uſque caudae ordines.

Tab. XI. 4. *Aldrov. lib. cit. 61.*

Rajae Fvllonicae ab eo nomen inditum eſt, quod ubique in alis, corpore, capite, cauda, tota frequentiſſimis aculeis conſperſa ſit, inſtrumenti illius, quo fullones pannos poliunt inſtar, quod totum aculeis ferreis conſertum eſt. *Roſtro* eſt ſatis longo et acuto. Caudae aculei incurvi ſunt, triplici ordine diſpoſiti. Rara eſt, et pugnaciſſima eſſe creditur.

Tab. X. 6. *Idem c. 62.*

Raja Asperrima, a praecedente eo tantum differt, quod non ſolum prona, ſed etiam ſupina tota aculeis peracutis ita horret, ut manu tolli non poſſet, niſi pinnulis cauda apprehenſis, ideo ſupina in icone exhibetur; pro dentibus maxillas habet aſperas et oſſeas.

Pvnctvm IX.

De Rana marina.

Tab. XI. 8.

a *Voſſius de Idol. lib. 4. c. 28.*

Rana marina. Graecis *βατραχὸς θαλαττιὸς*, Plutarcho *βατραχὸς ἁλιεὺς*; nomen ranae ex eo forte meruit, [a] quod gyrinas ſive ranulas recens editas, et imperfectas, oculis quidem et cauda notabiles, ſed quibus poſtea demum acceſſuri ſint pedes et caudae notabiles, ſed quibus poſtea demum acceſſuri ſint pedes et caudae fiſſura, referat. A venandi ſolertia *Piſcatrix*, quod et a Plutarcho factum; ob foedam corporis monſtroſitatem *Diabolus marinus* Dalmatis; ob oris hiantis amplitudinem, *Lamia* Siculis; ob carnis mollitiem *Maltha* Bellonio, ſed perperam dicitur. Magnitudine eſt ubique fere pedali et cubitali, alicubi tricubitalem inveniri, Salvianus author eſt. Cute capitis, *aculeis* exceptis, lubrica et molli, inferna parte ſubalbida, ſuperna vero ex nigra flaveſcente tegitur. Unde molles, Ovidio tergore Ranae. *Caput* habet toto corpore longe grandius, ut nihil in eo praeter caput et caudam [b] conſpicias aculeatum, aſperum, orbiculatum atque depreſſum. *Os* in promptu, ſeu anteriori parte, ſecus ac aliis cartilagineis, vaſtum, pro corporis proportione grandiſſimum, ac quam maxime hians. *Dentes* permultos magnos, acutiſſimos, in os recurvos, utrique maxillae, duobus palati oſſibus, et linguae radici infixos. Bellonius mobiles, albos, & confuſis ordinibus diſpoſitos facit. *Maxillae* ipſi retuſi, ſemicirculares, quarum ſuperior brevior eſt, inferior longior et prominens. *Lingua* maxilla ſuperiore longior. Membrana quaedam gingivarum interiore parte enata, et in os complicata, quae a maxilla ſeparari non videtur. *Oculi* ampli in capitis vertice potius quam in temporibus ſiti, *aculeis* ſepiuntur: Ante eos duae propendent appendices, tenues, albae, tetri odoris, ſi Oppiano credimus. In medio naſi * *pinna* oblonga praedura, et verſatilis, viſitur: a cujus extremo muſculus quidam ceu cirrus inſtar fili ſubtiliſſimi deducitur, per ejus cavum humorem certum in fundum uſque cirri derivant, ubi coacervatus ad vivi vermiculi ſimilitudinem tumet. Omnia hamum piſcatoris exacte exprimunt. Parvae ex roſtro albicantes caruunculae, [c] eminentia ſub oculis cornicula Plinio,

b *Ariſt. l. 3. de generat. cap. 3. Aelian. l. 13. c. 2.*

* *Kircher. l. 3. Art. Magn. p. 6. ſ. 5.*

c *Oppian. Halieut. l. 2. v. 90.*